



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XII. Novembris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Didacus icone Deiparæ adhibitâ mira
 multa patravit ; ejus festorum pervigilia
 pane & aquâ jejunos egit ; lampadis, quæ ante
 ejus iconem arsit, oleo ægros complures sana-
 vit, ejusdem ope puerum in fornace ardente
 incolumen servavit. *Nad.* Vel flammæ verentur
 innocentiam.

S. Didace, qui tantam semper in vita erga
 Deiparam fiduciam exhibuisti, ora nunc pa-
 riter eam pro me, ut miseras, inconstantiam,
 pravitatem & nihilum meum agnoscam, ne in
 æternum abjectus & contemptus infra Dæmo-
 num pedes abjiciar. O Sanctissima Dei, & mea,
 Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius
 tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis,
 quàm animæ viribus centies millies, imò in-
 finities te saluto: te omni possibili omnium
 possibilium & actualium creaturarum affe-
 ctu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiri-
 tum, quantum possibile erit, placere & servire
 desidero. Hoc unum per pretiosissimum JESU
 Filii tui &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Desiderium excita-
 bo die aliquo Deiparæ sacro mortem obeundi.

Per Virginem in nocte hujus sæculi illumi-
 namur spiritualiter, sicut quandoque Filii Is-
 raël illuminati sunt corporaliter. *S. Bonav. c.*
3. in spec.

Quæstio: An B. V. vivens unquam cessaverit
 ab amore Dei? *v. Bernard. serens. ho. 1. ser. 15.*